B. N. C
FIRENZE
1008
10

1008 · 10

ORATIO FRANCISCI BOCCHII De Laudibus PETRI VICTORII, VIRI CLARISSIMI.



FLORENTIAE,
Apud Georgium Mareſcottum.
CIↃ. IↃ. LXXXV.
Cum licentia Superiorum.

1008. 10

FRANCISCVS BOCCHIVS

HIERONYMO GVICCIARDINIO, Viro prudentiſsimo, atque optimo ſalutem dicit.

PERRARO vſu venit, vt virtus vſquequaque ſingularis, atque abſoluta in his rebus caducis ſe oſtendat: vt multis ſepta difficultatibus, ſtudio, atq; induſtria ſe illuſtret, &, quid vis diuina poſſit, omnino planum faciat. Sibi igitur noſtra ætas hoc nomine gratulatur, & iure optimo exultat, ſuisq; annis mira virtute PETRI VICTORII nobilitatis, numquam poſt hac ſe ex hominum animis deletum iri arbitratur, cùm clariſsimis iam teſtata literis, vel ad ſexcentos annos amplius vigere poſſe planè ſentiat. Summum mœrorem, quo ſe afflictat, hac tanta gloria conſolatur: & vim lacrimarum, quas diſceſſu viri ampliſsimi profudit, laudibus vno omnium ore perſonantibus abſtergit. Eam profectò induſtriam VICTORIVS in ſe oſtendit, eam ingenij magnitudinem explicauit, eis ſemper moribus vitam mirabiliter traduxit, vt cuncti in eo exemplum probitatis, & nobilium li-

terarum oraculum faterentur intueri. Vbiq; doctorum, & proborum hominum conſenſus & primas ei partes in vitæ ſanctitate tribuit, &, quicquid eſt liberalioris doctrinæ, refert eidem grato animo acceptum. Nulla erit poſteritas tam ingrata, quæ tanti viri in ſe beneficia non agnoſcat, nulla gens, quæ vocibus honeſtiſsimis non proſequatur. Tuæ autem in eum propenſionis nomine admonitus, quæ viri clariſsimi cauſa collegi, excuſa typis ad te mitto; vt et tuum ſtudium ne obſcurum ſit, & meum in te animum perſpicias. Mens tua optimis artibus inſtituta numquam à diſciplinis ingenuis abhorruit: hoc verò literarum columen magnificè ſua ſponte ſemper extulit, atque eiuſmodi conatus comprobauit. Laudes omnium, quos vmquam nouimus, doctiſſimi viri, atque grauiſsimi leges, quas meis copiolis ingenii ſub eius obitum ſum perſecutus; atque id totum, quod à me per inſcitiam omiſſum eſt, tibi ipſi ad tuum arbitrium ſubijcies. Tam magnum ille gloriç, atque virtutis ſpatium obiuit, vt eius ipſius qui geſsit, vis, non mea opera quçrenda eſſe videatur. Quòd ſi minus rei propoſitæ mea imbecillitas reſponderit, non mihi animum tam magnis in laudibus, ſed induſtriam defuiſſe arbitrabere.

Vale. Florentiæ. XI. Calend. Februarij. CIↃ. IↃ. L X X X V.

ORATIO FRANCISCI BOCHI DE LAVDIBVS PETRI VICTORII,

Viri Clariſsimi.

VIM ſuam importunè his temporibus ærumnoſis fortuna, & crudeliter exercet: magnoq́; impetu nuſquam re vlla obſiſtente, quæ ſibi ad prædam, aut ad cædem deſignauit, ſua ſæuitia exorbet; noſtriſq́; bonis infeſta, ſummis, clariſsimiſq́; Principibus extinctis, Italiæ, & cæterarum regionum florentes opes terrore belli, & multorum malorum pernicie affligit. Clariſsimi viri magno ingenio præditi reſtabant, qui literarum monimentis dediti, & iuuentutem erudiunt. & mores mortalium exornant, atque omnibus ſeculis rerum memoriam viuam præſtant: ſed eos quoque, vt magno noſtro malo experimur, eadem nobis ſuo furore, atque inuidia eripuit. Res miſeras nonnumquam ſapientium hominum ingenium nullo etiam ſermone conſolatur: Ferimus enim, quæcumque accidunt, modeſtè dum bonum illud praeclarum intuemur & quamquam omnia circa nos ruere videntur, nos ipſos tamen non penitus proijcimus ſed æquo animo, & forti grauibus in malis præſentia admirabilis virtutis conquieſcimus. Nunc verò præſidijs ſalutaribus ſpoliati, quocumque oculi inciderunt, vndiq́; mœror, vndiq́; luctus. vndiq́; tenebræ occurrunt, cum PETRVS VICTORIVS, Vir clariſsimus, nobis ſubitò gementibus bonis eſt ereptus, qui optimarum artium diſciplinis ſingulari fuit omnibus populis præſidio, cunctamq́; Italiam virtutum ſuarum luce illuſtrauit. Hac tam graui

iactura

iactura amiſimus, viri honeſtiſſimi, omnem nobiliſſimæ exercitationis facul tatem, omnes cogitationes quibus communes ærumnas lenire conſueuimus: Et iam ingenuis artibus adoleſcentes eruditi, quo ſua ætas honorifice traducatur, nihil ſe habere profitentur. Neque enim ſatis magna virtus eſſe poteſt, niſi perpetuo, & continenti quodam vſu, præceptisq́; multarum literarum alitur, & voce ſummorum hominum quotidie excolitur. Hanc ipſam intentis oculis intueri, & ſuſpicere conſueuimus, ipſumq́; virum tam magno bono præditum ſingulari quodam modo venerari. Neque eſt hæc vis caduca, aut humana, ſed diuina, & cæleſtis Dei Opt. Max. beneficio mortalibus tributa: vt eam intuentes, tamquam exemplar, ſibi propoſi tam eſſe ſciant, & ſequantur. Inane ipſum virtutis nomen putaretur, & ab hominibus ingenioſis tantummodo inuentum, atque oratione vſurpatum, quod magno artificio, multisq́; verbis ſolet explicari, ſi bonum tam præclarum viſu numquam percipere liceret, &, quod tantopere tot literarum monimentis perſonaret, nuſquam tamen in vita appareret. Eſt igitur vis tanta, & nonnumquam in nobis ineſt, quæ tamen tardis mentibus non committitur; vt Ioannem Caſam, Petrum Bembum, atque hunc ipſum PETRVM VICTORIVM paulo ante vidimus alijs ita præſtitiſſe, vt vix præ præ lucis magnitudine, atque ſplendore cæterorum laudes poſſimus intueri. Offudit ille, mihi credite, cæteris hominibus tenebras ſua luce, ſtudioq́; ad res inueſtigandas incitato, quicquid in Muſis erat gloriæ, collegit, ſeq́; vnum omnibus ſeculis nobiliſſimum, & præſtantiſſimum effecit. Natus eſt hic vir nobili genere Florentiæ, vt ſcitis, id eſt in ciuitate totius Italiæ clariſſima; verumtamen, ſi in deſerta regione natus eſſet, propter ingenij magnitudinem obſcurus numquam eſſe potuiſſet. Quæ igitur ſimul atque ſumus editi in lucem, præclara ſolent eſſe, valde huic viro copioſè, atque honeſtè affuerunt; & cùm initio magni ingenij lumen, & ſingularis induſtria vigeret, cogitare homines cœperunt, ſi quæ dabat in pueritia documenta, eadem grandiori iam ætati reſponderent, magno præſidio non ſibi ſolùm, ſed cunctæ reipub. futurum. Non fefellit clara indoles hominum expectationem, quæ intelligendis, notandisq́; ſummis auctoribus ſingulis diebus augebatur; cùm ſtudio inflammato, atque acri iudicio arriperet, quod ab omnibus vno ore videbat comprobari. Verumtamen cùm campus rerum multarum eſſet ei propoſitus, in quo virtus exerceri, & cognoſci poteſt, eam vitæ rationem præcipuè delegit, quæ ſuis eſſet moribus & probitati conſentanea. Secutus eſt enim hanc literarum humanam militiam, & liberalem, quæ tam illuſtri laude celebratur, eosq́; etiam magiſtratus ſua ſponte eſt adeptus, qui amplioribus patricijs deferuntur, quiq́; in hac Repub.

cæterorum

cæterorum omnium maximi ſunt, & honeſtiſsimi. Non ille, vt alij fortaſſe, ingenij paupertate vni ſe tantùm ſtudio dedidit, ſed magnam partem temporis grauibus in Reipub. negotijs collocauit. Qua in re ſuum ipſe animum excoluit, vt cæterorum ciuium ornaret, magnaq́ diligentia prouidit, vt quæ ſolent ab induſtrio viro, atque ab optimo ciue proficiſci, per ſe vnum ſui ciues obtinerent. Vidit ille ſe ad gloriam, atque ad laudem eſſe natum, ſimulatq́ ingenij magnitudinem periclitatus eſt; non ſolùm vt literarum ſtudia grauiſsima, ſed etiam vt negotia Reipub. ſumma modeſtia, & ſingulari induſtria obiret. Non dicam verbis pluribus, quod ſcitis, quàm ciuili animo, quàm magno, quàm temperato ſemper fuerit, & quam etiam ſapienter florenti ætate ciuitatis ærumnis, & periculis obuiam ierit: Vobiſcum ipſi recordamini, quod eſt in primis arduum, ſed tamen præter cætera populare, omni tempore vir ille probus, & ciuis bonus habitus eſt. Ad immortalitatem conſecrantur, qui hac tanta virtute, tam admirabili præditi ſunt, qua, & patriæ legibus obtemperant, & voluntati diuinæ ſatisfaciunt. Hanc nos vim in hoc viro coniunctam vidimus, quæ in cæteris diuulſa ſolet eſſe admirabilis. Didicit enim rationibus Reſpub. diuerſis, & ſe regere grauiter ad tempus, &, quoties fuit opus, verſare naturam ſapienter, atque ita animum moderari, vt cùm valde Reipub. predeſſet, ſuum ipſe tamen propoſitum honeſtiſsimum teneret. Quanta eſt hæc virtus, quàm admirabilis, quàm ardua, quàm vſquequaque abſoluta, & perfecta? Eam ſibi vnuſquiſque inani quadam opinione tribuit; ſed tamen niſi qui ſe innocentia, integritate, iuſtitia, cæteriſq́ animi bonis ſanctiſsimè munierit, ab ea longiſsimè abſit neceſſe eſt. Accedit cunctarum rerum ſingularis vſus litterarum præſidio mirabiliter experiens, omnia videns, omnia proſpiciens, quem cùm fugiat nihil, habet vel minima momenta egregiè comprehenſa, & cognita. Tolluntur propemodum in cælum ſua ſponte, qui hac virtute in terris ſunt præditi, neque terreno pondere premuntur, qui bonum tam diuinum intuentur, ſuiſq́ commodis neglectis aliorum emolumentum perpetuò conſiderant. Sed magno labore, incredibili vigilantia, admirabili animi robore res tanta eſt perfecta; luctari profecto cum ipſa natura, vim adhibere, & digladiari viſus eſt: vt quæ ſolent præclaris rebus aduerſari, contentione, atque acri diligentia depelleret. Quo quidem facto vicit ille naturam conſuetudine, & corporis imbecillitatem animi inductione ſuperauit, nec quid cupiditas, ſed, quid ratio vellet, cogitauit: vitamq́ ſuam traduxit ea lege, vt quodammodo illi otium numquam fuerit otioſum. Minimè ab eo doctrinæ præſidia ſunt quæſita, quòd ſuo ingenio diffideret; verùm Muſarum ſedes, & receſſus ardenti ſtu-

dio

dia celebrauit, vt hoc eximium opus artis, & naturæ benignè ad communes vtilitates mortalium traduceret. Ex vmbra, vt ille fecit, in Solem eſt virtus proferenda, atque è latebris in lucem educenda, vt quam Dei ſingulari beneficio accepimus, liberaliter ad omnium ſalutem conuertatur. Qua enim ratione æquum eſt, vt in eo reſtrictus eſſe velis, cum ipſum cùm videas, a quo acceperis, vim tantam bonorum effudiſſe? Nihil profectò de tanta virtute imminuitur, ſed tamen neſcio quo pacto deeſt aliquid, ſi in ſe ipſa conquieſcens ſibi tantummodo inſeruit. Declarant ſummorum Principum voluntates, quàm hæc facultas in Victorio vtilis eſſet, quàm egregia, quàm ſalutaris, qui literis ſuis, & decretis huic viro tantum propter doctrinæ dignitatem tribuerunt, quam cunctis communicare liberaliter conſueuerat, quantum ijſdem de cauſis ne multis quidem concedere teſtati ſunt. Quod enim admirantur homines in literis, quod colunt, quod efferunt laudibus, quod ſingulari induſtria ſuſpiciunt complures ab hinc annos, id omne ex hoc fonte honeſtiſſimè redundat. Quantò nunc eſt Ariſteles purgatior? quantò Plato formoſior? quantò Cicero candidior? quos cùm barbara vetuſtas fœdiſſimis mendis inquinaſſet, huius acerrimi viri diligentia eoſdem planè legimus, atque intuemur, quos ipſi in medium primo partu putamus prodijſſe. Quid ego dicam de voluminibus, de libris, de doctiſſimis epiſtolis, de orationibus, quas ſacris in ædibus perorauit, multiſq; præterea de rebus, quas ſuo Marte, incredibili artificio conſcripſit? Proſtrata fœdiſſimis maculis clarorum auctorum iacebant monimenta, omnis ornatus, omnis verborum munditia, omnes dicendi venuſtates non ex hominum mentibus ſolum multis iam ſeculis abierant, ſed penè in libris obſoleuerant, tantumq; diuturnitate temporis tenebræ profecerant, vt ne cogitatione quidem quiſquam priſcam illam elegantiam aſſequeretur. Primus hic ingenij magnitudine nubem, qua ſplendor occæcatus fuerat, diſiecit, barbaramq; conſuetudinem, & inhumanam libris quoque inſultantem tanta eſt diligentia, tàm diuturno tempore inſectatus, vt toto humanitatis, & Muſarum ſpatio fugaret, & loces omnes ſpinis, & ſordibus ſqualentes aperiret. Contigit huic viro præſtantiſſimo, quod nemini vnquam video eueniſſe, vt præclaram hanc facultatem latitantem antea primus in medium proponeret, ingenioſè explicaret, atque abſolutè perpoliret. Nemo id eſt primò contemplatus, quod ſingula artes comprehendunt; non vidit vnquam vnus, quod non poſſunt complures intueri: non illa omnia perſcrutatus eſt, quæ, vt inueniantur, ne multis quidem annis poſſunt reperiri. Stylus hic ipſe admirabilis, quo vtuntur, qui iuuentutem publicis in gymnaſijs ad humanitatem præcipuè erudiunt

diunt

dimus ab hoc vno inuentus, expreſſus, atque auctus eſt; huic dicendi elegantiam, munditiam verborum iure optimo doctiſſimi viri referunt acceptam. Qui quidem Stylus ſumma diligentiâ exortus, ſtudio excultus, vigilijs ornatus, & magno acumine ingenij perfectus eſt: idemq́; infimis, medijs, ſummis gratus, atque acceptus omnium vſui admirabili quodam modo præſidio eſt, & homines ingenioſos ſingulis horis egregiè iuuat, atque alit. Vir igitur animi magnitudine mirus, atque ingenij acumine ſingularis omnia vidit, omnia reperit, omnia oculis luſtrauit, quæ neceſſaria erant humaniſſimæ literarum facultati: Non res difficultas mentis luminibus offecit, non labor deterruit, non conatus aliorum inanis retardauit, quin hic diuina quadam induſtria incitatus perficeret vnus exiguo tempore, quod complures antea mortales multis ſeculis præſtare numquam potuerunt. Quàm grauiter quàm ſtudioſè, quàm prudenter ſummi cauent imperatores, ne cùm fortuna fecerint ſæpè periculum proſperè dimicando, vno aduerſo exitu omnes ad extremum victoriæ obruantur? Vir autem hic vſquequaque ſapientiſſimus cùm ſingulis diebus Muſicæ fortunæ, & liberalis faceret periculum eis potiſſimùm in rebus, quæ ſolent homines ad reprehendendum exacuere, ingenij præſtantia difficultates omnes vicit, & ſpem omnium, atque opinionem ſuperauit. Nihil habet maleuolentia, quod mordeat, nihil liuor, quod laceret, nihil peruerſitas, quod oppugnet, nulliſq́; vitijs vllam partem clariſſimarum lucubrationum obſcurantibus omnia illuſtris gloria ſumma cum grauitate occupauit. Quæ iam acutiſſimi homines per multa ſecula ſubtiliter tractarunt, quæ laboribus, quæ vigilijs, quæ induſtria inuenerunt, omnia hic vir vnus peragrauit, atque incredibili contentione animi collegit. Neque cuiquam mirum eſſe debet, tam valde illum cunctis mortalibus ſemper præſtitiſſe, qui eis facultatibus, quæ cæteris antecellunt, ingenium ſuum ſemper mirabiliter excoluit. Fuit id nectar profectò, fuit hæc ambroſia, quibus doctiſſimi viri Deorum mentes nutriri fictis fabulis dixerunt, quibus ſuam mentem aluit, quibus diuino panè ſtudio cogitationes ſuas fouit, cunctaq́; etiam poſteritati expetendum, & celebrandum ſe ſe præbuit. Sed contingit tamen quoſdam ita moroſos, & peruerſos reperiri, vt in rebus tam probandis nulla ratione ſe oblectent, nulla afficiantur voluptate, atque odioſè ſummis in virtutibus faſtidiant. Res ſpecie ipſa grandes & magnificæ inuitant hominum eiuſmodi concurſum, multitudinem commouent, faciunt miram quandam orationi audientiam; nemo præterea, rei magnitudine cognita, reperitur, quin ſtudeat eis rebus celebrandis intereſſe, quæ cæteris iudicio ſuo præſtant omnibus. Magnos mihi exercitus propone, bella, & prælia enarra, reges, atque opulentos viros profer, ſi me dicenti deditum, atq;

addictum vis efficere; quaſi minus ſit ſuas cupiditates, & prauos animi motus cum ſalute aliorum vincere, quàm res bellicas cum pernicie humani generis tractare; minusq́ ſit optandum animi vi, atque virtute, quàm furore, atque impetu excellere. Sed hominibus leuibus, atque imperitis hæc ipſa relinquamus, qui huiuſmodi facultatem in diſciplinis præcipuè, atque in literis, ſi quid eſt laudandum, inopem, atque exiguam eſſe arbitrantur, qui res ſpecie magnificas, barbaras nationes domitas, victorias, & triumphos potiſſimùm requirunt,: qui hoc pacto eloquentiam tolli ſua ſponte miram quandam dicendi copiam oriri, & vim penè diuinam in eorum, qui audiunt, animis, ipſum oratorem moliri arbitrantur. Sed tamen non deeſt, ſi rectè ratiocinamur, hæc eadem facultas in hoc viro ampliſſimo multò etiam lautior, ſplendidior, glorioſior; etenim quàm ſummis in rebus ſit verſatus, declarant præclara ingenij monumenta quàm fortiter barbariem fugauerit, & extinxerit à cunctis penè mortalibus, indicio eſt in eorum animis morum, & virtutum elegantia quàm fuerit à vitiorum contentione ſemper inuictus, ſatis nos admonet animus nulla errati ſuſpicione maculatus, quàm magnificè ſit ille de cunctis difficultatibus triumphum adeptus, ipſum profectò nomen gloria circumfluens egregiè oſtendit. Sed vos, honeſtiſſimi viri, qui hæc, quæ oculis corporis cernimus, contemnere conſueviſtis, eas artes, quibus ſe ille muniuit, atque armauit, mentis oculis inſpicite, vitiorum gregem, conſenſum ſcelerum contemplamini bellum acerrimè huic viro optimo, atque integerrimo facientem; non ne per annos penè nonaginta eundem fortiſſimè decertantem ſummis laudibus, trophæis, ſtatuis, miris coronis, & diuino præconio dignum iudicabitis? Non ne de vitijs, & ſceleribus triumphantem animo, & mente proſequemini? & ſi quid deerit, quod dicendi artificio tam magnam virtutem non poſſit adæquare, neque ad tantam rerum dignitatem vel ſumma eloquentia aſpirare, non ne hoc nomine rei magnitudinem, & vim quandam admirabilem eſſe in cauſa exiſtimabitis? At deſunt varij caſus, quibus animi altitudo, & ingenij præſtantia declaratur: ſed præſto eſt virtus, quæ cunctis maior difficultatibus ab eiuſmodi rebus libera fuit ſemper, & immunis: longè abfuit fortuna, quæ ſolent graues homines fortitudinem, atque animi conſtantiam metiri, at non deeſt ſummi conſilij vis quædam ſingularis, quæ minas omnes, atque impetum magna cum laude propulſauit: Non eum belli ſæuitia, aut impetus furentis populi exercuit; at, ne id ſibi contingeret, incredibili vigilantia perfecit, vt otium ſemper operoſum, quies de contentione nihil remittens, & numquam otioſa tranquillitas vitam ei nudam ab vitijs, copioſam à virtute, cumulatam decore, & gloria præſtiterint; quam nulla vnquam dicendi copia, nulla verborum facultas, nulla vnquam laudes pro

dignitate

dignitate poſſunt explicare. Quo igitur, vt te laudem tollerabili quodam mo-
do, vir ampliſsime, & celebrem, potiſsimum confugiam? opem ne Muſa-
rum implorabo? at res tanta caſu fletu, & dolore opprimuntur: virorum opti
morum requiram grauitatem? at, quo ſuum leniant mœrorem, nihil habent:
Eos, qui excellunt dicendi copia, appellabo? at ijdem non eloquentia ſed la-
crimarum flumen aſsidue profundunt. O' virum pro tuo merito parum fortu-
natum, qui in tuis laudibus perſequendis facultatem minimè parem nactus
es? O' virtutem tua ſponte potius, quàm cuiuſquam induſtria inſignem?
huccine rerum conditio deducta eſt, vt quarum artium ſplendore tu te ipſum
illuſtrare ſolitus es, iiſdem nunc cohoneſtare te non poſsim? quibus tu alios mi
rabiliter iuuiſti, eas teſtimonio meo, niſi ieiunè, & exiliter non confirmem?
Excitate, excitate honeſtiſsimi iuuenes (neque enim eſtis maioris viri faculta-
tem vnquam habituri) veſtram illam inſignem eloquentiam, qua & veſtri
animi licet propenſionem patefacere, & virum omnium ampliſsimum copio-
ſè, atque egregie efferre extollite in cœlum vocibus tantam virtutem, celebrate
veſtro præconio ſapientiam illam miram, qua tot mortales ſingularibus diſci-
plinis alluit auxit, erudijt: efficite, ne plus ille operibus, quod perarduum eſt,
quàm vos voluntate, quod fit facile, præſtiterit; & cum labore, induſtria,
vigilijs tantum ſemper oneris veſtra cauſa obierit, non ne tacito quodam mo-
do admonet reddendum eſſe tam ſummis, tam nobilibus artibus teſtimonium,
quo ſit poſteris veſtri animi voluntas teſtata, & cognita? Ego verò mihi ip-
ſi, eiuſq; rationibus proſpiciam; quas ſatis pro dignitate laudare non poſſum,
præteribo, ne meam ingenij infirmitatem dicendi ieiunitate patefaciam, &
laudes clariſsimi viri, & de hac Repub. optimè meriti imminuam. Facul-
tatem omnem literarum, quæ ad mores excolendos pertinent, eius acerrimæ
lucubrationes ſunt complexæ; etenim, quæ erant abdita, iam ſunt omnibus
in promptu, quæ ſenſum doctorumq; intelligentiam fugerant, iam patent
omnibus. Peruaſit hic omnes latebras, omnes receſſus perſcrutatus eſt,
neque digitum ad fontem tantummodo intendit, ſed, quod ſordidum e-
rat, & turbatum, purgauit, & abſterſit. Quàm verò fuerit vir ſum-
mus, atque admirabilis, ſi cetera deeſſent, vel ex hoc planè perſpici po-
teſt; quòd cùm in ſtudijs humanitatis verſaretur continenter, precepto-
rum diuinorum Noſtri Saluatoris ſtudioſiſsimus, earum rerum, quas do-
cebat, quas interpretabatur, rationem ſemper maximam habuit, vt a-
doleſcentes ad Chriſtianam pietatem inſtitueret. Minimè vobis, opti-
mi viri, obſcurum eſt, quàm ſit eorum, qui humanitatis, atque ho-
minum habeant egregiè rationem non valde magnus numerus, qui Deum
piè, ſanctè, caſte, & cum innocentia colat, non ita magna copia eſt,

vt non perexigua ſemper, & mira paucitas exiſtimetur; qui verò his virtutibus cumulatus optimarum artium ſcientiam addiderit, ne ſinguli quidem ſingulis ætatibus reperiuntur; vt vir clariſsimus ſit iam planè omnibus ſine dubio præferendus, qui cum ſalute hominum commercium, Dei veri cultum cum integritate, rerum cunctarum notitiam cum innocentia coniunxerit, atque in homines benignus, pius in Deum, rationem Dei, atque hominum grauiter, caſtè, & ſapienter nobilibus literis comprehenderit. Celebrabatur locus admirabili hominum voluntate, vbi clariſsimas diſciplinas adoleſcentes nobiliſsimos docebat; frequens erat hoſpitum, atque aduenarum magno numero concurſus, flagrabat literatorum ſtudio, & cupiditate tota domus omni tempore, vt tamquam exemplum virtutis cunctis eſſet admirationi, & rei diuinæ ſpecimen, literarumq; mirabilium ſedem, qui aderat, vnusquiſque fateretur intueri. Languebat interdum natura in rerum optimarum pondere, ſed animus ad literarum nobilitatem factus celeriter vim ſuam explicabat; premebatur vita incommodis, ſed cunctis maior difficultatibus, ad extremum ſui ipſius victor eminebat; aduerſabatur ei virium imbecillitas, ſed alta ſemper ſpectans ſuum opus mirabiliter implebat. Neque ille, vt quidam peruersè faciunt, aſpernari docendi munus conſueuerat, ſed ſuam operam ita benignè impertiri, ita communicare liberaliter, ita prolixè largiri, vt vita ei nequaquam eſſe iucunda videretur, niſi diuitias tam admirabiles ad ſalutem omnium effunderet. Et profectò ineſt in docendo decus, ſplendor, dignitas; vt ſit æquum quas Deus artes in tuum animum præcipuo quodam munere infudit, eaſdem hilarè te cunctis mortalibus largiri. Iam verò quantum cæteris probitate præſtiterit, pro rei magnitudine dicere deterreor; ita enim cunctis cum hominibus loqui conſueuerat, vt Deum ipſum audire arbitraretur: ita ſuas curas ad Dei uoluntatem conformabat, vt emolumentum hominum omni tempore ſpectaret; ita ſe innocentia, et ſanctitate morum roborarat, vt nihil optimis in artibus, niſi res diuinas videretur intueri: Nullum ei odium, niſi cum ſcelere interceſsit, nulla lis, niſi cum vitijs, nulla controuerſia, niſi cum improbis, quos hoſtili animo ſemper perſecutus eſt. Eò iam ille virtute, & ſapientia proceſſerat, vt vno omnium ore mirabiliter excelleret: eò induſtria, atque ingenij acumine peruenerat, vt nihil addi poſſe videretur. Certauit igitur cum alijs perſæpè; in quo dubio numquam certamine, ſed victor omni tempore diſceſsit; victisq; cæteris, qui cum eo poterant contenderet, ſecum ipſe admirabili quodam genere pugna certare cœpit; nullamq; in partem aliquandiu gloria inclinante, vt aliquid adderet, vt ſe virtute cumularet, ſe ipſum extremo vitæ tempore, nobiliſsimis in artibus felici euentu miro artificio ſuperauit. Prò

ſupreme

ſupreme Deus, quàm fuit ille ſingularis in hoc negotio, quàm mirus, quàm eximius, quàm omnium approbatione glorioſus? Sed tamen ita ſe vſitato more, & panè vulgari metiri conſueuerat, vt ſe ipſum, quantus eſſet, videretur ignorare; &, cùm alij mirarentur, nequaquam virtutis ſuæ magnitudinem ſentire. Perſonabant cuncta loca huius verbis monimentis, & literis, tanti viri nomine; ſtrepebant laudis, & gloriæ bonorum voces, vt hunc vnum inſigni præconio efferrent. plena erant omnia decoris, dignitatis ſi quando de Muſis mentio inciderat; vt, quicquid erat vſquam virtutis, quicquid amplitudinis, nobilitatis grauitatis, tamquam fluuij in mare, vno omnium conſenſu iure optimo in VICTORIVM *influeret. Hic tamen quàm modeſtè, quàm demiſſè ſe gerebat? quàm temperatè, quam benignè, quàm comiter, vel infimæ condicionis homines excipiebat? animi eum puſilli, & reſtrictum ad largiendum iudicaſſes tam remiſſa moderatione vitæ, niſi eundem tam liberalem, tam beneficum in omne hominum genus cognouiſſes. Sed iam occuparat omnium voluntates virtutum optimarum ſplendor: tenebat ſibi obſtrictos animos literarum nobilium præſtantia; perfecerat iam rumor, & fama, vt humanitas eſſet ei animi magnitudo, & modeſtia probitatis incredibilis, & virtutis conſcientia putaretur. Hæc vero ſingularis humanitas, & facilitas miranda homines ſua ſponte inuitabat, vt hæſitantes de rebus obſcuris vltrò appellaret, eoſdemq́ ſua opinione deceptos domum certos planè dimitteret. Veneranda illa canicies, ſcientia ſalutaris, glorioſa ſenectus, mirum quantum caritatis, quantum amoris, quantum auctoritatis nomine, & conſpectu iam collegerat: vt cum ſecundo populo cunctis in locis laudaretur, tam magna hæc tamen ſumma virtutis celebratio, tam præcipua laus, tam illuſtris prædicatio perexigua pro tantis meritis omnino videretur. Inerat illi oratio prudens, illaborata, & facilis; cùm Græcè, aut Latinè loqueretur, influebat in aures, aut in animum potius vox canora, nulla aſperitate, mira elegantia, felici rerum ſerie beata; quæ, ſi quid inſederat, euellere, ſi quid ſuadendum, exprimere intimis ſenſibus conſueuerat. Neque verò ſine cauſa ad hunc vnum honeſtandum propenſam, nobiliſſimi viri, doctorum hominum videtis voluntatem, in ciuem benè de ſe meritum hanc Rempub memorem & gratam, atque ad nomen celebrandum totam Italiam erectam, cunctorumq́ hominum hanc in eandem ſententiam conſenſum conſpirantem. Sed quid cuiquam mirum eſſe debet, tot eum viris, tot populis carum eſſe, qui ſuo labore, ſuiſq́ lucubrationibus ſemper profuit vniuerſis? Quàm multi ſunt, cùm alia eis cauſa nulla eſſet vrbis videndæ, qui* PETRVM VICTORIVM, *vt viderent, ſe Florentiam contulerunt? Quid enim maius eſſe*

poteſt, quid præſtantius, quàm rerum antiquarum interpretem, nobiliſſimæ
humanitatis auctorem, & virtutis viuum exemplum intueri? Vt iam mi-
nus mirari debeamus, quod de Tito Liuio, rerum geſtarum graui ſcriptore,
memoriæ proditum eſt: cùm ex Galliis nonnulli, atque Hiſpania ad eum vi-
ſendum Romam ſint ſummæ virtutis opinione euocati. Sed quid ego de Hi-
ſpanis, Gallis de Germanis dicam multa? cùm homines longinqui, & man-
dare memoriæ quæ à VICTORIO acceperant, & loqui, & cum eo eſſe
laborarint, claraq́ voce multis audientibus ſe domo diſceſſiſſe, illum ipſum,
vt viderent, ſint profeſſi? Sol profectò ex hac vrbe ex Italia, cunctiſq́ etiam
ex locis vbi colitur humanitas, vbi Muſarum ſacrarium celebratur, vbi vir-
tus diligitur, videtur cecidiſſe, cùm VICTORIVS nobis eſt ereptus, ex
quo tantum luminis, tantum ſplendoris, quantum iam expertes ſumus, no-
ſtris animis illuxit. Tabeſcet omne ſtudium poſthac, quo tenebamur, noſtraq́
ætas ab honeſtis laboribus ad otium deuexa ſe ipſam proiiciet, niſi, quæ ma-
gna diligentia à literarum parente ſunt collecta, retinere, atque animo reco-
lere voluerimus. O fortunas noſtras deplorandas, cùm te VICTORI pro-
pter vitæ commutationem, tuamq́ virtutem animis, atq; oculis requirimus?
O cogitationes duras, cùm eo ciue nobis ſit carendum, qui tribuere noſtris ani-
mis vitam ſuis præceptis conſueuerat? Vos autem Muſæ, &, quæcum-
que ſunt literarum præſidia, appello, quorum ius eo viuo tam egregiè viguit;
veſtra tum dignitas, veſtra auctoritas valuit, veſtri tum honores, veſtra
trophæa huius viri ſollertia ſunt erecta. Frequentare eo duce, & colere
veſtras ſedes conſueuimus, mentemque eo cibo præcipue nutrire, qui ſuauiſ-
ſimus omnium, & ſaluberrimus habetur. Non breue igitur aliquod ſpa-
tium (quamquam vocem viri clariſſimi tot lacrimis deſideramus) ſed
multa ſecula huic noſtræ reipub. hæc tanta virtus propagabit. Intue-
mur veſtigia, miramur nobiliſſimas artes, lucubrationes eruditas legi-
mus, vt dolorem, quem acerbiſſimum cepimus, & tantæ virtutis de-
ſiderium, quo conficimur, lenire; atque aliquantum imminuere poſſi-
mus. Nonne vos, viri nobiliſſimi, meminiſtis, quocumque ille iret
propter vitæ integritatem, & rerum ſingularium doctrinam, ſummam-
que virtutis opinionem, cunctorum in ſe mortalium oculos conuertere?
Vigere admirabilium laborum, & vigiliarum præſtantia in animis bono-
rum, tantumque florere præcipua quadam auctoritate videbatis, vt,
ſimulatque eius nominis appellatio inciderat, fulgere ad oculos abſolu-
tæ virtutis vis quædam, animoſque noſtrorum ciuium effodere ſingula-
ris gloriæ dulcedo videretur. Summa cautione magni viri curare ſo-
lent, ne præſentia ſua aſſiduitate minus grati ciuibus, aut nimis po-

tius

*tius molesti ſint, & odioſi (eſt enim magnum onus, quam opinionem
ſingularis virtutis de te homines acceperunt, eandem ſingulis horis, &
ſingulis in rebus conſeruare) atque hac precipuè de cauſa ſe ſe remouent
è medio plerumque, vt eam auctoritatem, quam ſunt magno cum ho-
nore aſſecuti, deſiderio, & diſceſſu tueantur. Hic verò vir praſtan-
tiſsimus cùm in omnium oculis frequens eſſet, atque in ore totius ciuita-
tis, & in animis ciuium continenter habitaret, forumque Muſarum ſpe-
ctantibus omnibus premeret quotidie, quod adeptus erat mirabili doctrina
non ſeruauit ſolum, verùm etiam beneficentiſsimè adauxit. Sui omnino
ſatietatem perpetuis vigilijs, ingenii acumine, & continenti labore ſuperauit.
Quoties enim aderat ſtimuli ſingularis virtutis excitabantur, qui te ad res
egregias efferrent, qui repentinò miras cogitationes parerent. Certabat probi-
tas cum maieſtate, ſplendor cum virtute, ſapientia cum dignitate; vt, tui
cùm planè eſſes oblitus, ſentires te ad rerum magnitudinem rapi, & miro
quodam modo ſummi viri praſentia commoueri. Viuo enim è fonte, &
perenni eiuſmodi iam erat flumen ingenii perfectum, vt à doctis ſitienter,
à prudentibus cum voluptate audiretur. Cunctorum aures magnitudo iuditii
referſerat, & tantum ſe auctoritate roborauerat, cùm millies iam factum
eſſet periculum admirabilis doctrinæ, vt inter multos viros, qui Florentiæ
multò ante floruerunt, inter eos, qui eodem tempore viuebant, tam-
quam vox certiſsimi oraculi, vim quandam admirabilem eius oratio cun-
ctis in rebus eſſet aſſecuta. Tulit hac ciuitas Dantem omni laude litera-
rum cumulatum, & acerrimi ingenii virum, vt ſcitis: Boccaccium ce-
terorum omnium eloquentiſsimum, qui hanc linguam Tuſcam attige-
runt: Petrarcam tantis elegantiæ præſidiis, doctrinæ, ſuauitatis præ-
ditum, vt quem ei è magno optimorum poetarum numero anteponas,
neminem omnino poſsis inuenire. Proximis verò temporibus, & praſtan-
tia doctrinæ, & acumine ingenii enituit Ioannes Caſa. Sed* VICTORIVS
*dum viueret, longe omnibus præſtans (quod eſt omnino mirum, atque arduũ)
cunctas terras v. ominis ſui gloria peruaſit, eandemque poſt mort m, vt vide-
mus, huius ciuitatis dignitate maxima tenebit. O fortunatam patriam, quæ tuo
gremio tantum bonum aluiſti? O beatos ciues, quibus hac incredibili virtute
frui contigit, certaq; in poſſeſsione cum gloria, & cum voluptate permanſiſtis?
Eoſdemq; nunc miſeros, qui tantam virtutem, tantum bonum tot lacrimis, tan
toq; luctu deſideratis. Non audent tamẽ ullæ ciuitates uendicare quẽ ſemper ha
buiſtis non repoſcere, quẽ à teneris annis inſtituiſtis: non repetere. quẽ propter ue
ſtræ poſſeſsionis auctoritatẽ nũquã tenuerunt. Totũ id bonũ, quod ceteris præſtat,
ueſtrũ eſt: nihil ſibi fortuna tribuit, nihil caſus aliquis poſtulat, nihil cuiuſquam*

indu-

induſtria deceperit. Veſtri ſunt honores, veſtræ ſunt laudes, veſtræ dignitates, veſtra præconia cunctarum gentium, quibus hic vir magnus, & illuſtris hanc noſtram patriam admirabili induſtria decorauit. Tu verò Magne Dux, qui ſemper VICTORIVM, *vt parentem, coluiſti, magnam in partem tantarum laudum iure optimo vocaris; tu illum ſemper, vt politiſſimum artium auctorem nominaſti, tu vt literarum omnium ſacrarium omni ſermone agnouiſti, tu adoleſcentibus, viris, quaſi ſignum aliquod ad hunc ſummum virum efferendum, & celebrandum verbis magnificentiſſimis dediſti; vt ſi cetera maximorum Principum deeſſent teſtimonia, tu & ſummæ auctoritatis, & ſingularis ſapientiæ iure optimo omnium inſtar eſſe poſſes. Quot illum opulentiſſimi viri præterea coluerunt? Quot Cardinales maximo ſemper habere in honore ſunt ſoliti? Quid de Ceruino Cardinali plura dicam, qui ſacro ſenatu conſentiente Pontifex Maximus renuntiatus eſt, quiq́, cùm hunc virum minori in fortuna dilexiſſet, in ampliſſima dignitate conſtitutus, ſi vita longior ſuppeditaſſet, maximis illum fuerat honoris gradibus perſecuturus? Quid de Sirleto, ſanctiſſimo viro, cunctarumq́ artium inſtructiſſimo, literis, & mutuo amore* VICTORIO *ſimillimo? Quid de Coſmo Medice, Magno Duce, qui grauibus de rebus eſſe cum hoc ſingulari viro, longioresq́ habere ſermones conſueuerat? Cuncta verò Germania, & de ea loquor, quæ religione, pietate floret, quæ ſtudijs militaribus viget, quæ artibus egregijs excellit, quibus laudibus hunc virum ſemper extulit, quibus teſtimonijs virtutem comprobauit, quibus vocibus diuinas in literis cogitationes proſecuta eſt? homines alienigenæ, & remotis in terris habitantes tam magno amore ſunt complexi, tam valde ad exquiſitas laudes exarſerunt, vt ei, dum adhuc viueret, tamquam de orbis terræ commodis benè merenti, ſtatuas apud ſe celeberrimis in locis ponendas iudicarent. Dies me profectò deficeret, ſi omnes mortales, qui hunc ipſum magno amore, magnaq́ pietate proſecuti ſunt, velim enarrare. Sed tamen abſterſis lacrimis lætari tecum ſumma ratione potes, clariſſima ciuitas, quæ tantum uirum aluiſti, tam præclaros fructus ex maximo ingenio tuliſti, quaq́, cùm eius artes nunc tenes, præſtantiſſimis monimentis omni ſeculorum memoria vigebis. Eas enim ille artes amplexus eſt, quæ cunctis in terris celebrantur: eam facultatem coluit, quam omnes gentes, omnes populi ad ſuæ Reipub. ſalutem, ad dignitatem ſunt ſemper venerati. Miſeros profectò illos populos, quò præclara hæc facultas non acceſſit, quò nobiliſſimus animorum cultus non peruenit, quò diuina hæc vis adhuc non penetrauit. Mores aſſeri domantur; cogitationes ſordidæ faceſſunt; & conſilia fera*

molliuntur,

molliuntur, vbi humaniſſimarum literarum tractatio celebratur? Quam magno ſe ſcelere noſter animus aſtringeret, quàm turpibus ſe vitijs implicaret, quàm foedis impuritatibus inficeret, ſi ad id, quod cupit, licenter, & ſua ſponte reperetur, ſi hæc ſingularis opportunitas, qua ad rationem animus, ad humanitatem cupiditas informatur, nuſquam eſſet? Viuunt ita, qui ſunt his ſalutaribus ſtudijs dediti, vt eſſe beati in præſentia omnino videantur; &, quæ facta ſunt, ſic intuentur, vt quodam modo interſint; futura verò ita proſpiciunt, vt perpetuam ſui nominis memoriam futuram eſſe videant. Facile, atque egregiè, quocumque vult, conuertit ſuas vires, qui ſe huic literarum ſtudio regendum tradit, qui ſe ad eius nutum flectit, quã tamquam magiſtrum ſequitur, & auctorem, qui ad præcepta eius ſe conformat. Iure optimo toto iam terrarum orbe hæc liberalis exercitatio, & nobilis, pueris, atque adoleſcentibus proponitur; vt, quæ prima ætate percepe-runt, ijſdem iam grandes natu vti poſſint. Erudit vis hæc præclara iuuentutem, oblectat ſenes, mortales omnes iuuat; ceteræ artes multa pollicentur, hæc verò fructum vberrimum, eundemq; nobiliſſimum præſtat; aliæ terminos ſuos non tranſiliunt, hæc verò, quocumque libet, honorificè vagatur: hæc ſe ſuis viribus tuetur, aliæ autem ſine hac conſiſtere non poſſunt; huic aliæ, quicquid eſt in ſe decoris, referunt acceptum: hæc vna nullius doctrinæ expers, literarumq; omnium compos, vim incredibilem, atque immenſam ſuo opere complexa alias fouet, et ſuſtentat; vt iam vereri nemo debeat, quin maxima in laude huius viri ponendum ſit, quod domitis infinitis penè difficultatibus, quibus ceterorum animi franguntur, excellere ei contigerit in ea arte, quæ omnium conſenſu ceteris præſtat omnibus. Exiguis terminis, vt ſcitis, puſillis viribus prædita eſt natura, arduoſq; labores reformidat; quæ facta ad res ſingulas, ſimulatq; multiplicis virtutis onera aggreditur, obruitur pondere, &, ne id, quod cupit, implere poſſit, rerum magnitudine impeditur; Animi verò vis tam altè ſe ſe effert, vt eam vires corporis deficiant, atque in ipſo opere perſæpè deſerant: vt qui res multas ſit complexus, atque eas commodè tractat, & egregiè, omnino humanæ conditionis facultatem vicisse videatur; quo nomine profectò cunctas laudes ad ſe vnum VICTORIVS *aduocauit, omnes voces bonorum ſibi vni addixit, quicquid eſt decoris, denique collegit, qui ſingula momenta literarum omnium ſpectans ſcientiam omnem ſapienter, & glorioſè pertractauit, qui Muſarum vim vniuersè acri ingenio, ſingulari memoria comprehendit, qui arduas difficultates, moroſas, aſperas ingenij magnitudine ſuperauit; vt cùm ſint in vno viro laudes plurimæ ſpectandæ (quicquid*

literis gloria, ſummiq; nominis tribuitur, huic eidem vni vno omnium ore
deferatur) non re aliqua, non verbis, quæ ad tantam dignitatem non poſ-
ſunt aſpirare, ſed mente, cogitatione vir omnium præſtantiſſimus ſit tan-
tummodo efferendus. Sequimini veſtigia adoleſcentes, qui illum, dum vi-
ueret, tantopere coluiſtis, victoq; gemitu imitamini virtutem, quam ter-
rarum orbis ad noſtræ ciuitatis dignitatem, atque ad ſuum emolumentum
veneratur. Vixit ille caſtiſſimè, vt ſcitis, & ſumma cum dignitate, in-
genijq; acumine, & ſollertia veſtra vt gloria ſeruiret, huius vitæ angu-
ſtias poſthac propagauit, ſuosq; omnes ciues, niſi ingrati eſſe volumus, ater-
nis beneficijs obſtrinxit; vt, dum erunt literæ, dum mentes hominum lite-
rarum ſtudio flagrabunt, dum clarorum auctorum vigebunt monimenta,
dum nobiliſſimæ artes efferentur, clarum VICTORII nomen, ſine quo
celebrari numquam poterunt, amoris nos debeat, officij, pietatis admonere.
Sed tamen video, quòd quantò enitor magis, vt tanti viri laudes mea
oratione perſequar, eò me minus pro rei dignitate propoſitum tenere, minusq;
præ nimio ſplendore meis ingenij copiolis caligine offuſa, rerum magnitudi-
nem conſequi. Quoties, qui Patauij commoratur, doctiſsimorum virorum
conuentus hunc ipſum magnificentiſſimis conditionibus expetiuit? Quoties,
qui Bononiæ, maximis promiſſis inuitauit? Quoties Mediolani totius con-
ſenſus, & quibus precibus, vt apud ſo vellet habitare, & quibus rationi-
bus rogauit? Quoties Senatus Romani eadem voluntas in hoc præcipuè ne-
gotio perſpecta eſt? at quorum hominum? ampliſsimorum, & qui vitæ ſplen-
dore, & dignitate morum ex delectu orbis terrarum in collegium ſacrum
cooptati humani generis conditionem ornant, & illuſtrant. Quid dicam
conſentientis Italiæ voces, quid ſummos viros cunctis ex locis proferam, quid
Reges, quid Imperatores, quid Pontifices enumerem? qui vt hoc tanto viro
ſuis terris lumen inferrent, quibus artificijs ſtuduerunt, quàm nullis pecunijs,
nullis præmijs pepercerunt. Sed quo amore à primis ætatis temporibus erga
patriam eſt incenſus, erga eas ſedes, quibus eſt exceptus, & nutritus, eun-
dem ampliſsimis promiſſis repudiatis perpetuò vitæ curſu ſumma voluntate
conſeruauit. Vidiſtis planè hominem perpetuò in artibus ſingularibus habi-
tantem, honeſtis curis inhærentem, per noctantem animo & mente in ſollertia,
ardere ſapientiæ cupiditate, bonorum ſtudio incitari, non ſibi parcere, in
rerum mirabilium contemplatione pæne mori; vt quicquid eſſet in ſe ingenij,
induſtriæ, acuminis in omnium vſum liberaliter proferret. Quàm verò
eum mira voluptate perfundi, augeri lætitia, gaudio cumulari credibile
eſt: quoties ei veniebat in mentem, cùm cetera omnia tam ſapienter per-

penderet,

penderet, ſeipſum quoque contemplari, & tacita cogitatione virtutũ ſua magnitudinem metiri? qui purus à vitio, à modeſtia felix, à literis beatus, quæ poſſunt in terris bona homini contingere, ea ſe eſſe, & ſuperioris, & futuri temporis gloria conſecutum ſentiebat. Niſi ei fuit, dum viueret, in optatis barbara fertilitas, & vis potentia inquirenda; qui contentus paruo, & cunctorum beneuolentia diues, ſatis tunc ſe cunctis rebus affluere arbitrabatur, ſi bona, quæ diuinitus, acceperat, ad ſalutem, atque ad emolumentum mortalium impertiret. Rem admirabilem dicam, atque incredibilem, ſed eiuſmodi tamen, quam cuncti, qui viderunt, quique etiam re ipſa ſunt experti, & tacitis cogitationibus probant, & adhuc laude proſequuntur: ita ei magnus honor habebatur, quoties ſe ipſum dabat in conſpectum, vt excellere omnibus, & lux virtutis, probitatis videretur oboriri: ita erat imperitis, doctis, ſummis viris admirationi, vt res quædam nequaquam vſitata, ſed diuina putaretur tam magnam fidem omnibus admirabilis ſcientia faciebat, vt, ſcire eum omnia, perſuaſum eſſet omnibus; ita ad eius voces vnuſquiſque longinquus, & alienigena verborum vi admirabili inflammatus ſolitus erat commoueri, vt videretur non hominem aliquem apprimè doctum, ſed cunctis in rebus oraculum literarum nobilium agnoſcere. Et profectò per magnum eſt à ſuis ciuibus amari: ſed multò maius à cunctis mortalibus coli, atque expeti; præclarum in vno literarum genere egregiè verſari; præclarius in cunctis artibus excellere: admirabile grauiores auctores explicare; admirabilius complura ingenij ſui monimenta poſteris relinquere: magnificum in laude ſui temporis hominibus æquari; magnificentius ceteris omnibus maiores ſuperare: glorioſum in ſua ciuitate vna omnium voce celebrari; glorioſius cunctarum gentium laudibus terrarum orbem peragrare. Verentur igitur non ſine cauſa, qui humanioribus literis dediti ſunt, ne tam magno vulnere, tam graui iactura nobiliſſimis diſciplinis ſummum detrimentum inferatur; atque id cùm cogitant, quo metum animo abſtergant; quo minuant dolorem, & ſe ex parte aliqua conſolentur, nihil planè reperiunt; etenim quo florente literæ floruerunt, eodem ne cadente occidant, iure optimo dicunt dubitare. Hoc nomine videre iam videor cunctis in locis homines, qui huic ſtudio plurimum ſemper tribuerunt, audita tanti viri morte, ſe vehementer afflictare, lugere parentem literarum, à quo fuerunt eruditi, fontem, requirere doctrinæ, è quo tam multa per tot annos hauſerunt, dolo-

temq́ nullo pacto conſolabilem his verbis patefacere. O' miſeram cuncto-
rum hominum conditionem? O ſpem inanem, & inſidioſam? O' mor-
tem nimis ſæuam, & præpcoperam? Tu ne de repente eum virum nobis ab-
ſtuliſti, qui ſummis hominum ingenijs luculentis lucubrationibus ſemper
profuit? Tu eius interitum confeciſti, a quo ſalutare præſidium petebatur?
Tu eius extremum diem intueri potuiſti, qui ſuarum virtutum præſtantia,
ne moreretur, & perpetua vita dignus eſſe videbatur? Quò conſilia nobi-
liſsimarum artium egentes conferemus? quò noſtras vigilias, quibus mens
alitur, quò cogitationes, quibus noſtra hæc vita feliciter traducitur? Omnia
nobis veſtigia doctrinæ, virtutis tam importuno tempore erepta ſunt viri
clariſsimi interitu, cui adoleſcentes, pueri, ſenes liberalem eruditionem,
mores egregios, & vitæ commoda referunt accepta. Debilitatam, atq; orbam
nobiliſsimam hanc exercitationem ſubitò reliquit, hominumq́ voluntatem
eo tempore deſtituit, cùm ceteris honeſtis voluptatibus ſpoliati hunc vnum
ſibi præſidio futurum perpetuò crediderant. Non dicam amplius, ne vim
lacrimarum in vobis excitem, quàm fuerit ille in bonos, atque egregiè pro-
penſus? quàm benignus in egenos, quàm in miſeros profuſus, quàm pius in
Deum, quàm ardens caritate, qua cunctos mortales ſuis beneficijs com-
prehendit? Recordamini, honeſtiſsimi viri, ſimulatq́ de vita eius inci-
dit ſuſpicio, qui gemitus, quæ lamentatio fuerit tota vrbe: redite in memo-
riam, cùm extinctum eum eſſe allatum eſt, quæ comploratio, quæ lacrima-
rum copia effuſa eſt; pueros, mulieres, infimam plebem ab animo cunctis
ſenſibus abalienatis concurſare, ſuam fortunam miſerari, & tunc planè pe-
rijſſe dicere: viros autem graues ſe vehementer afflictare, ingenij præſi-
dium, literarum columen lugere, lucemq́ è diſciplinis fugientem, & te-
nebras iam obortas auerſari: tūc fontem gloriæ, veræ ſapientiæ ſpecimen, ſplen-
dorem patriæ requirere: vna hora in ſua ciuitate in vno viro amiſiſſe, quod
ne mille quidem annis omnibus in terris, vel cæli perampla largitate ori-
ri ſolet. Naturæ fragilitatem propoſitam ſibi ante oculos videbant, ſed tan-
ta virtutis præſtantiam numquam defuturam iudicabant; maximas, in-
credibilesq́ ſummo cum ingenio difficultates colluctaſſe, eaſdemq́ victas
eſſe cognouerant; quid vellent, quid optarent, quid ſibi decori, quid emolu-
mento eſſe poſſet, intuebantur: & quem fructum multos iam annos ſalutarem
ceperant, & glorioſum, eodem vt frui poſſent perpetuò, exoptabant. Sed ſatis
ſe iam diu diuina hæc virtus in rebus humanis exercuerat, ſatis iamiter
gloria apertè demonſtrauerat, ſatis communicata terris ſingulares noſtris in
animis

animis ſapientiæ amores inflammarat: cùm in cœlum reuocata, cui vim ſuam ſanctiſsimè addixerat, ad ſempiternas diuitias animo planè cunctis maculis expiato iter exoptatum explicauit. Sed vos, qui mœrori, qui lacrimis, qui luctui ſatiſfacere voluiſtis, aliquid etiam amori, aut plurimum potius viri clariſsimi memoriæ tribuite. Non ille honoris, aut gloriæ magnitudine teſtimonij cuiuſquam indiget, cuius nomen magna cum laude cunctis in terris ſemper habitabit: ſed ne ab omnium mortalium conſenſu diſſentire videamini, id potiſsimum officium veſtra à vobis prudentia efflagitat. Colite igitur induſtriam, vt facitis, proſequimini beneuolentia labores, celebrate veſtris vocibus ſingularis ingenij acumen, tollite in aſtra pium animum, quem quidem iam in cœlum ſummam pietatem, quam ipſe ad extremum ſanctiſsimè ſeruauit, extuliſſe arbitramur. Tam multos annos perpetuus curſus ad virtutem, tam longi temporis diuturnitas, tam numquam intermiſſa probitatis, modeſtiæ atque innocentiæ contentio non ſine cauſa profecto videtur illi contigiſſe: Cùm eis non ſine quadam admirabili prouidentia Deus commorationem in terris diutius tribuere ſolitus ſit, qui virtutis magnitudine perampla bona, & ſalutaria mortalibus poſſunt impertiri: vt cùm munditiam mentis, integritatem animi ad eum deferat, proiectis laudibus, quæ tam vehementer à nobis expetuntur, non ereptus terris, ſed cœlo redditus, non à ſuis ablatus tam ſumma, ſed tamen viridi ſenecta, verùm ad diuina præmia maturo iam tempore putetur euocatus. Quo quidem nomine non ille ſtatuam aliquam, quæ ſtatueretur, requiſiuit, non ſepulchrum, quod ſemper contempſit, non elogia, quibus ſe ipſum ſuis monimentis exornauit, ſed officium, ſtudium, beneuolentiam in bonas artes: quibus, ſi modo id cupiat, numquam ex mortalium memoria ſuum nomen deletum iri arbitratur. Nobis verò colenda eſt omnino tanta virtus, & magno verborum cum honore noſtris poſteris tradenda: quæ multos ab hinc annos non patria, neque Italiæ finibus contenta tot ciuitates, tot populos luſtrauit, tot terras, tot regiones magna ſua gloria peragrauit; quæq́, vbicumque eſſet commorata, fieri vix poterat, quin eidem loco ſummum decus, & dignitatem denique afferret. Sed nunc, mitiſsime Deus, qui tot annos vim tantæ virtutis terris commodare voluiſti, qui hanc vrbem ſua ſponte inſignem ſingularibus ſtudijs præcipuo quodam modo illuſtraſti, qui tantum huic admirabili ingenio virium in tuo diuino munere explicando tribuiſti, ijs eandem vim, pro tua benignitate, quæ longè maxima eſt, atque ampliſsima, impertire, qui eiſdem artibus dediti ſe totos eiuſmodi negotio excolendos tradiderunt:

derunt:

derunt; vt ſe, multosq; mortales ad virtutem, ad humanitatem erudire, & genus humanum pulchrius, & ornatius reddere poſſint. Vos autem, nobiliſsimi iuuenes, qui ſupremum hoc munus ſummo amore obijſtis, caeteriq; optimi ciues, qui adeſtis, cogitare animo, & mandare memoriae debetis, cùm fueritis Dei Opt. Max. voluntati propter pietatem obſecuti, vos neque doctioris, neque melioris, neque maioris viri funus veſtris ſtudijs celebrare potuiſſe.

Dixi.

FINIS.

1003 10
Z

99 95567

XII

1003. 10

…RATIVA LAVORATORI AUSILIARI…